

Letter 69: 6 January 1521, Basel, Claude Chansonnette to Capito

The manuscript is in the Universitätsbibliothek, Basel, Ki.Ar. 25a, #65. The text, like Ep 67, was published by Rivier, p. 30-31.

5 S.D. Mi patrone doctissime, expecto redeuntem tabellarium quem cum Niceno Concilio ad te misi: nihilque aliud spero quam rem pro tua in me propensione et mea expectatione absolutam, quando apud principem tuum et iam, ut spero, meum omnia possis. Nec dubita, praestabo me ad nutum tuum effingendum. Meque perpetuo habebis (si simul erimus) cui nihil non precipere credereque fidelissime possis. Equidem si tuus aliter, perquam vehementer ingratus sim. Sed maneat semper inter nos sepultum negotium donec apud vos ero, nam nulli mortalium verbum feci.

10 Reliqua: Est apud vos isthic secretarius quidam regius, cui nomen Remaclo; hic si tibi insinuatus est poteris ex eo sciscitari num ad me quippiam literarum dare velit; scio enim esse quod ad me scribat de negotio cuiusdam privilegii ad meos Metenses spectantis. Etenim curavi ad eum ut irent quibus ea res est mandata. Ad eum non scribo, quia cum WORMATIAE essem, nondum advenerat. Vale, spei meae anchora, et tibi omnia de me spondeo, quaecunque vel corpore vel animo possim. Basileae, die Epiphaniae MDXXI. Percelere. Nihil aliud quam tuus Claudius Cantiuncula.